

Aufonius testatur. Postquam pingues evasere, succum mediocriter bonum, et qui facile distribuitur, gignunt: sed quia glutinosioris alimentii excrementa non facile atteruntur, ideo ab ipsis exhalationibus, intempestiva somnolentia inducitur, et fitis excitatur. In pisculariis Bavarorum legibus, teste Gesnero, interdicitur, ne duobus palmis vel septem digitis, propter aristarum et parvitatem et multitudinem capiantur. Vida prudentissimum, quod non nisi obesus, maximeque, idoneo tempore, cum esu carniū interdicatur, appareat, dixit.

Aldrov. de  
Piscib. l. 4.  
c. 5.

**ZIGA** Albis fluvii, qui et *Goldtfisch* ab aureo circa caput colore dicitur, sic a Kentmanno describitur. Zige piscis est tenuis et ficans, paucae carnis: colore pulchro, argenteo, dorso tamen subfusco, oblongus est, non ita latus, ut solent esse pisces *Goldfisch* dicti, qui in Marchia capiuntur: longitudo enim ejus ad latitudinem quintupla est. *Caput* ejus si foris aspicias, Harengi capiti non dissimile est, nisi quod in parte superiore oris scissuram habet. *Lingua* ejus parva, quae colore nigricat. *Dentes* utrinque ad latera in faucibus, mandibulis duabus duri adnati: sicut in ejusdem fluminis piscibus (de Capitonum fluviatilium genere) *Jeseno* et *Dibelo*, ut vulgo nominant. *Caput* et oculi ad aureum colorem, paucos viridi permixtum, accedunt. In summis lateribus utrinque maculae

quaternae nigrae digeruntur, quarum prima ad summas branchias, ultima paulo sub initio pinnae dorsi. Ex Oceano in Albim *subit* hic piscis et paulatim consumitur ac deficit. *Capitur* ut plurimum in hoc flumine, a festo Pentecostes usque ad Divi Johannis diem, quo tempore *Sturio* migrat.

A Sturione enim e mari in Albim pellitur. Quanquam autem ad velocitatem et fugam prae omnibus in Albi piscibus, comparatus sit; mollis est tamen et quam primum ex aqua in aërem subductus perit. Maximi hujus generis in Albi apud nos (*Misenos*) duabus cum dimidia libris (sedecim unciarum) ad tres cum dimidia (quod tamen rarum est) perveniunt. Sive *assus* sive *elixus*, non boni saporis est. Si tamen praeparatum, sale intus aspergas, tum in fumo aut sole leviter fices, et ita butyro inunctum super craticula asses, melius (ut in hoc genere) sapit. Et quoniam aridi hi pisces sunt, sunt qui in aqua elixant, deinde exemptos condunt jure e butyro, zinzibere, aqua et modico aceti, sicuti etiam alios quosdam pisces ficcatos condire solent, ut *Truttas*, *Thymallos*, *Lucios*, et *Cyprinos* latos. Quomodo cunque paretur, nullus tamen in Albi piscis aequae ferini aut virosi saporis est; et a quo etiam nomen ei impositum conjicio, ut *Zige*, id est, *Hircus* dicatur, hircum enim praesertim insolatus, olet. Capitur et in lacu *Sverinensi*. *Alosam* Gesnerus credidit, metuo ne perperam.

#### CAPVT IV.

#### De Mugilibus.

TAB. XXIII.  
4. 5.

Aldrov. de  
Piscib. l. 4.  
c. 6.

† *Arist. H.*  
*A. l. 5. c. 11.*  
\* *Arist. H.*  
*A. l. 8. c. 2.*

**H**istoriam *Mugilum*, nomenclaturarum diversitas obscuram facit *Κεσρεὺς*, *λευκίσκος*, *κέφαλος*, *νήσις*, *περαιάς*, *μυζίνος*, *σάργος*, *χελών*, *βάκχος*, *σφηνεὺς*, *δακτυλεὺς*, *κεφαλίνος*, *βλεψίας*, *πλεῦτες*, quae apud *Aristotelem*, et *Athenaeum*, ex *Hicesio*, *Dorione*, *Eutydemo*, *Polemone* invenies, praecipuae sunt; *Κεσρεὺς*, *Aristoteli* et † generis et speciei \* nomen est. *Hicesius* speciei,

*Dorion* generis duntaxat mentionem fecit, et in *marinum* et *fluviatilem*, illum iterum in *Cephalum* et *Nestlin*, divisit. Appellationem ἀπὸ τῆς *κέσρε*, seu telo, belli *Perfici* tempore invento, sortitus est, quod eo teli modo in anum immisso apud Athenienses publice adulteri poenas luerent. *Leuciscis* seu *Alburnis* et *Albulis* ab albo colore nomen impositum est, perperam *γλαυκίσκοι* dicuntur; *Galeno*